Ille ſed his contra: Credas, temerarie, credas
Nequicquam Aſſyrios numeroq́ animisq́ ſuperbos:
Non ſolis pugnant: animis vincamus eosdem,
Vincimus & numero. Rurſum hoc dubitante Propheta
Ingemuit: Quantum mortalia lumina cœca
Noctis habent! Sed tu, Pater, o Pater alme, paventi,
Dum dubitat, nutu nebulas removente malignas,
(Nam tua res agitur,) myſteria condita pande.
Nec mora: cum dictô juveni caligo receſſit,
Lumina præpediens, oculisq́ apparuit ingens,
Terribilis, ſacroq́ exercitus igne coruſcus.
Undiq terrificas totos ſtupet inſcius armis
Collucere agros, hostiq́ extrema minanti,
Cladem intentantes, pugnamq́ ciere paratos
Armigeros flammis circumlucentibus igneos.
Isthæc viſa, ſuum dum tutabantur Eliſam
Cœlicolæ: viſis multò DEUS antè probavit
Per ſancita pius æternô fœdere pacta:
Pacta Zachariadæ verbis laudata Prophetæ:
Gens adamata mihi, conſtans, ſervaq́ cœptum
Exerce pietatis opus: non damna timebis:
Ipſe meum ignitis populum circumdabo muris
Qui contemtores conſumant ocyus hostes.
Hactenus Excubias cecinit mea Muſa ſupernas,
Victorumq́ brevis teſtem produxit Eliſam,
Produxit Jacobum, tantis contenta Gemellis.
Cætera ſi referam: momentis ſecula cuncta
Quæ infinita ferè paribus documenta miniſtrant.
Ante diem clauſô componet veſper Olympô.